

tiam locum nos remittit Augustinus: vbi præter-  
 misimus illud quod nunc videtur addendum, Epi-  
 phanium in Antidicomar. scribere Iosephū ex alia  
 vxore & priore quàm Maria sex liberos sustulisse.  
 Itaque venio ad alias.

## CAP. LXXXV.

Paterniani siue Venustiani hæretici quid senserint.

**P**aterniani<sup>1</sup> inferiores partes humani cor-  
 poris nō à Deo, sed à diabolo factas opinan-  
 tur, & omnium ex illis partibus flagitiorum  
 licentiam tribuentes impurissime viuunt.  
 Hos etiam Venustianos quidam vocant.

I. *Paterniani inferiores.*) Ignota penè hæresis &  
 minuta: quæ tamen ex pessimis fontibus Eunomia-  
 norum, & Patricianorum hæreticorum profluxit,  
 quemadmodū apparet ex dogmatis consensione.  
 Appellatur verò his nominibus, Paterniani à Pater-  
 no quodā ignobili authore, & hoc nomine memi-  
 nit eorū Isidorus. Venustiani, vt hîc scribit Augu-  
 stin. à scelere & lasciuia, cui sunt addictissimi. A Ve-  
 nere enim (quam impudicissimarum voluptatum  
 & actionum deam & patronam Christiani homi-  
 nes semper oderunt & meritò infamarunt, vt appa-  
 ret ex Nicephoro lib. 14. cap. 49. & ex eo quòd Ve-  
 neris templum ad Libanum & Heliopolin Christia-  
 ni funditus ante reliquorum deorum fana euerte-  
 runt, vt idem tradit lib. 8. cap. 33. & Sozomen. lib.  
 5. cap. 10.) à Venere, inquam, dicti sunt Venustiani  
 ab illius seculi hominibus Latinè loqui studentibus.

bus